

Georg Damm    Martinus Frankk

## **Exercitatio Academica De Disputatione**

Rostochi[i]: Kilius, 1659

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730576914>**

Druck    Freier  Zugang



Ru. phil 1659

Georg Damm  
Martin Franke





A-B.

Σύν Θεῶ

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
DISPUTATIONE

Quam

Consensu

*Amplissimi Collegii Philosophici*

Directore

Deo Ter Opt. & Max.

Præside

**M. GEORGIO DAMMIO,**

Rostochiensi,

Eruditorum Examine publico  
exponit

**MARTINUS Franke /**

Goldbergensis,

*Habebitur die 19. Februarii horis ab 1. postm:*

*In Auditorio Majori.*

---

ROSTOCHI

*Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1692.*

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
DISPUTATIONE

Quam

Conservans

Augustissimi Collegii Philosophici

Directoris

Doct. Ter. Opt. & Max.

Præside

M. GEORGIO DAMMIO.

Rostochiensis,

Examinum Examini publico

exponit

MARTINUS SEIFFERT

Goldbergensis,


Habebitur die 19. Februarii anni 1708.

In Auditorio Majori.

ROSTOCHI

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.





Σύγγραμμά

# ANATOMIE Totius Exercitationis.

**I**ntegrum hujus Exercitationis negotium absolvitur definitione & divisione. Definitio resolvitur in *ἰστορικὴν ἱστορίαν* & *πρᾶξι μὲν ἱστορίαν*; Illa tria complectitur Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam; Hac conceptum convenientiæ & diffe-

rentiæ: Conceptus differentiæ partim à fine, partim ab Objecto, modo &c. peritur. Divisio instituitur vel ratione Disputantis, vel ratione principii, objecti, quantitatis &c. De quibus agendum distinctis sectionibus, separatis subsectionibus, Titulis & punctis. Quod ut eò feliciter fiat, esto:

*Quæ est cognitio sine alio  
cognito, illud o. e. anteferendum  
est præcognitum.  
quæ sit illa res, quæ sit  
cognita sine alio cognito,  
quæ sit illa res, quæ sit*

## SECTIO I. Præliminaris De

### Disputationis Existentiâ.

§. 1. Optimè Aristoteles lib. 2. post. Analyt. c. 9. hanc sectionem reliquis anteferendâ monet quando inquit: Quid res sit nisi esse ipsum cognitum sit cognosci nunquam potest: quia nemo potest scire quid sit illa res, quam sit nec ne ignoret. Cui morem gerentes, disputationem dari probamus.

§. 2. Esto nostra Thesis: Datur Disputatio. Cui, quis velit contradicat per conclusionem ductam

ex medio termino. Et ita facte confirmasse adversarium, quod verbis negaverat, constabit. Disputat enim qui rationibus contradicit.

§. 3. Dices (1) Posse aliquid vel simpliciter assumi vel rejici, Rectum enim est iudex sui & curvi. Et ita omnis Disputatio exultat. Resp. Si omnium rerum æquè manifesta esset veritas, ita, ut exceptis auribus intellectus promptissime discer-

A

*Σύγγραμμά  
chimara.*

discernere posset verum à falso, consilio huic subscriberemus. Ast veritas sæpissimè in cavernis latens & imbecillitas intellectus id non permittunt. Aurifabro admodum exercitato hic sæpissimè aqua hæret, ut quanquam auri, argenti, experientiam habeat non raram, minus rarò tamen neglectà exactione metalli, ad Lydium lapidem decipiatur. Quod si Aurifabro, quanto magis scientifico circa sententias & opiniones occupato accidere potest, in primis hoc exulcerato & conclamato seculo, ubi falsissimas sententias veritate deauratas, paleam pro avenâ & stramen pro auro vendunt. Ad allegatum veriverbium, Resp. Rectum judicem esse sui & curvi, quâ curvum est curvum, & sub specie curvi menti nostræ subjicitur.

§. 4. Dices (2) Disputationes non rarò esse causam hæreseos. Quia bilem movent, animos contentiosos reddunt, ita ut plerumq; à verbis ad Scommata, ab his ad verbera fiat progressus. Quibus causis motus quidem Scriptor Gallicus ut lib. 4. de Rep. c. 6. Leges ferendas esse in bene constituta Rep. suaderet pro abrogandis disputationibus & quidem circa Religionem. Lipsius quoq; l. 4. pol. c. 3. Fatalem ingeniorum scabiem

appellaret, ubi omnes disputare, malint, quam vivere. Quibus R. (1) Distinguendo inter ipsam Disputationem & Disputatorem. Loquimur hic abstractè non concretè. Scommata vixè & altercationes non à Disputatione, sed Disputatoribus oriuntur, qui si essent animi sedati ac veritatis amantes, sedatè disputarent, & unice veritatem respicerent, *Philonician* serio contemnendo.

(2) Distinguendo inter Disputationis usum & abusum. Vinum inebriat homines propter abusum, viget nihilò sciens usus. Pro abusu si leges ferendas existimat Scriptor Gallicus facilè nobis habebit assentientes & omnes bonos disputatores. Qua in parte accipiendus mihi videtur doctissim; Lipsi; Liviu; secut; quod colligo ex verbis eodem Capite. Nam in morbis (inquit) nihil magis periculosum est, quàm immatura medicina. Et scio Medicos interdù plus quiete quàm movendo atq; agendo proficere. Ex quib; liquet optimum Lipsium non tam Disputationem ipsam quàm intempestivam proscribere, ubi prius sanare avert, quàm cognoverint morbum. Citius opponere, quàm mentem adversarii intellexerint.

§. 5. Dices

§. 5. Dices (3) Satiùs esse, ut quod quis sentit secum foveat nec disputer, sed suo quemvis genio abundare permittat. Resp. velloqueris *determinatè* de opinionib9, quæ vera quidem sunt in se, nihilosecius propter suspectas quasdam Phrasologias non sine scandalo publicari possunt; Vel *in determi-*

*nate* de quâvis sententiâ: si illud jam à nobis suffragia impetrasti; Si hoc Resp. Concedendo, nisi illud fiat cum veritatis detrimento, cujus tutela cuivis candido sacra sanctaq; esse debet. Quod norunt conditores hujus dictionii:  
*Amicus mihi Plato, amicus Aristoteles;  
Sed magis amica mihi veritas.*

## SECTIO II.

DE

### Disputationis Definitione.

Vocabulum definitionis sumitur apud Philosophos dupliciter (1) *Generaliter*. Quatenus & definitum & definitionem (strictè ita dictam) in se complectitur. 2. *Specialiter* pro explicatione istius definiti, ita ut ei contradistingatur

non includendo illud; sed excludendo. Hoc loco titulus definitionis generalis est, ad eò ut secundum Anatomem in Auspicio datam sub se comprehendat *ὀνομασλογία* & *πραγμασλογία* id est definitionem nominalem & realem.

## SUBSECTIO I.

DE

*ὀνομασλογία*

§. 1. *ὀνομασλογία* in tribus versatur, in vocis origine, convenientiâ verborum in re, & disconvenientiâ. 1. dicitur *Etyologia* 2. *Synonymia*. 3. *Homonymia*.

§. 2. Vocabulum disputare vulgò à *puto* derivant, quod proprie significat *inutilia ex plantis rescindo*. Vox enim *putare* apud Veteres erat usitata & tum, cum

vacantia & non necessaria, aut etiam obstantia ex plantis vel alia quavis re excidenda significare vel lent. Sicut ex Agellio refert Beckmann9. de Orig. L. L. p. m. 893. Per Metaphoram igitur huc translatum fuit vocabulum *putare*, ut non tantum accipiatur pro defecatione plantarum; sed & Sententiarum. Argumentum est comparativum:

A 2

rativum:



raivatu: Sicut inutilia ex plantis  
reſcinduntur; ita & in diſputatio-  
ne falſa & heterodoxa conſutatur,  
amputantur, vera & orthodoxa  
confirmantur & conſervantur. Di-  
ſputare (inquit Varro) eſtvalde  
purum facere & per trãſlationem  
pro diſceptare diſſerere. Matthias  
Mart. in Lex. Phil. diſputare dedu-  
cit à diſ & putò, id eſt exiſtimo.  
Quum conferuntur, quæ diſtinctè  
hic aut ille putat ſeu diverſæ opini-  
ones, allatis utrinque argumentis:  
tunc diſputatur. Quanquam &  
hæc derivatio non careat funda-  
mento, maluerunt tamen plurimi  
Philoſophi priori ſubſcribere.  
Evolue Sceibl. Tract. Syll. c. 78. §.  
107. Meiſn. Ph. Sobr. part. I. Sect. I.  
c. 6. quæſt. 6.

§. 3. Sunt plura uno nomine,  
quibus Diſputationem exprimere  
Philoſophi ſueverunt. Aliis di-  
citur diſſertatio, quia plerumque  
in actu diſputatorio diſſerãt. Qui-  
busdam contrariorum collatio,  
eo quod contrariæ ſententiæ in di-  
ſputatione conferuntur. Interdum  
diſquiſitio, quia de ſententiis diſ-  
quiritur utra propior ad veritatem  
accedat. Sunt & alia quæ brevita-  
tis ergo omittimus.

§. 4. Mater omnis erroris æqui-  
vocatio eſt, unde in verivbium  
abiit: Errorum genetrix eſt æquivo-

catio ſemper. Ne igitur, quod di-  
ci ſolet ab igne fatuo decipiamur,  
& ut conſtet quid definiamus, re-  
moveremus diſputationem (popu-  
lariter ſic dictam) quæ nudis the-  
ſibus ſolet includi. Ratio remo-  
tionis eſt; quia nuda theſis, vel et-  
iam hujus in ſcriptis confirmatio,  
non niſi alterutram concernit ſen-  
tentiam, diſputatio autem eſt dua-  
rum, ubi una ſententia alteri op-  
ponitur. Nomen quod habet  
conſuetudini potius inveteratæ  
quam legi aſcribendum. Remo-  
vem9. 2. Diſputationem in laxã ſi-  
gnificatione, qua omnis generis  
rixas inſignunt, utpote injurias,  
quas plerumque in alium retor-  
quent & JurisC. dicitur retorſio,  
item verborum concertationes,  
absq; rationibus & alius generis.  
Removent alii quoq; diſputatio-  
nem mentalem & ſcriptam; Quo  
autem id fiat fundamento non vi-  
deo, nam ſcriptum eſſe, ore pro-  
ferri diſputationi accidentale, non  
eſſentiale eſt. Argumentor (æ) ex  
principio proprio: Cui competit  
definitio diſputationis, ei & defini-  
tum. Diſputationi mentali item  
ſcriptæ competit. E. Major habet  
conſenſum Philoſophantium.  
Minorem applicando totam diſ-  
putationis definitionem, conſta-  
bit.

Argum;

Argum: (B) ex principio con-  
 cesso. Logica per Te denominatur  
 à λογική tam ἐν ἀφαιρέσει quam ἐν  
 ποιήσει. Rationem das hanc,  
 quia utroq; modo via ad veritatem  
 patet, tam per verbum mentis,  
 quam oris, & quidem primario  
 per mentis. Pari modo & mihi  
 concludere liceat: Ubi datur finis  
 disputationis, ibi ipsa disputatio;  
 Atq; in mentali & scripta datur. E.  
 Major est tua. Minor probatur;  
 quia nihil ore vel scriptis proferri  
 potest, cujus decisio non est facta  
 in mente, verbū enim mentis præ-  
 cedit oris & scripti. Concludimus  
 igitur: Vocabulum disputationis  
 commode hoc loco accipi pro di-  
 sputatione, quatenus illa abstrahi-

tur à mentali, orali & scripta.  
 Quod neglexisse mihi videtur qui-  
 dam Philosophus, dum inquit:  
*Accipitur disputatio interdum latè,  
 pro solitaria à aliquâ Thematibus tradita  
 sione, quæ solet etiam disputatio dī-  
 ci, sicut Suarez, Gregorius de Valen-  
 tia & alii frequenter huiusmodi tra-  
 ctatus suos disputationes vocant.*  
 Disputat revera Suarez, quia ve-  
 ram sententiam in multis defen-  
 dit, dubia confirmando, contraria  
 solvendo. Agit idem Gregorius  
 de Valentia, & alii qui in scriptis  
 disputant. habent idem objectum,  
 eūdem finem disputationis, quem  
 intendebant vel intendere pote-  
 runt in orali disputatione.

## SUBSECTIO II.

DE

Περί μετὰ λογική

§. 1. Expeditis illis, quæ defini-  
 tum concernebant, ductum Ana-  
 tomes sequentes rem ipsam defi-  
 niendo aggredimur.

Disputatio est actus for-  
 malis diversas sententias  
 ad normam pro veritate  
 indagandā examinans,

§. 2. Περί μετὰ λογική pro  
 distinctā consideratione dividitur  
 in conceptum convenientiæ &  
 differentiæ. Ille ostendit, Dis-  
 putatio in quo cum aliis conveni-  
 at; hic ab aliis quomodo dif-  
 ferat.

A 3

TITUL

## TITULUS I.

DE

### Conceptu Convenientiæ.

§. 3. Omnis definitio ut habeat conceptum convenientiæ natura ipsa definitionis imperat, cum igitur disputationem definimus damus convenientiæ conceptum eumq; ponimus in vocibus: *Actus formalis*. Convenit disputatio cum nudâ thesium confirmatione, ubi utimur ad probandum actu formali. Formalis dicitur non quod ad disputationem necessario & absolutè requiratur dispositio terminorum in propositione, & propositionum in certa figurâ, & modo; etiam ille actus formalis

est ubi datur ratio vel negationis vel affirmationis, ita ut aliquid sequatur ex ratione adductâ. Quod doctè probat Cornel. Mart. *Analyf. Form. c. 10. Certè qui Thesis aliquam ponit, ejusq; rationem addit, aut illa Thesis ex eâ ratione, que addita est sequitur, aut non sequitur. Si sequitur jam formaliter disputavit: nihil aliud enim est forma, quam conclusio bona & legitima conclusio; si non sequitur, tum ille negatur non disputat &c.* Confer eundem in Resp. ad Vexatam quæst. Meisneri,

## TITULUS II.

DE

### Conceptu Differentiæ.

§. 4. Conceptus differentiæ peritur (1) ab objecto, quod est *diversa sententia*. Quanquam confirmatio nuda thesium actum formalem cum ipsa disputatione communem habeat. Differunt tamen in hoc quod confirmatio tantum circa unam numero sententiam sit occupata; Disputatio è contrâ circa duas numero *diversas & contrarias*.

(2) A modo. Qui exprimitur vocibus; *ad normam*. Differt in hoc à *νομομαχία*, ubi in verbis sunt contentiosi examen rei ad normam postponentes.

(3) A Fine; *pro veritate indagandâ*. Sophista quoq; disputat & idem se facere gloriatur quod bonus disputator; At ex fine quomodo differant, constat. Boni disputatoris finis est veritatem indagare,

gate. Sophistæ finis decipere, cap-  
tiosis argumentis quempiam à  
veritate deducere, nugari confer

Arist: l. 1. Soph. Elench. c. 2. item  
Danhaw. Id. B. Disp. & Mal. Soph.  
Sect. 2. c. 1. Art. 2.

## PUNCTUM I. DE Objecto.

§. 5. Objectum distinguitur  
à Metaphýsicis in adæquatum &  
inadæquatum. Illud exhaurit to-  
tam latitudinem disputationis &  
est quasi fundamentum, ad quod  
omnia quæ tractantur in tota dis-  
putatione debent revocari; hoc  
est res quævis. Nos hoc loco in-  
quirimus in naturam objecti adæ-  
quati & quidem abstractè sumti,  
non præcisè Theologici vel Philo-  
sophici, Medici &c. sed prout se  
adhæc indifferenter habet. Objec-  
tum igitur Disputationis adæqua-  
tum est Thesis. Cum verò non  
omnis Thesis in Disputationem ve-  
niat qualitatem Thesium duplici  
conclusionem enucliamus.

§. 6. Conclusio 1. Arne-  
tica: Objectum Disputati-  
onis non sit Ñ impium Ñ ni-  
mis sublime Ñ notissimum,  
7 inverecundum.

Ñ Omnia quæcunque fiunt ad  
DEI gloriam primario tendunt.  
Cum igitur singularis actio sit dis-  
putare, ad incumbendum ne Deum

sanctissimum nostris disputationi-  
bus offendamus quod sit ejusmodi  
thesibus cum Deum injustum de-  
fendimus, item parentes non esse  
honorandos ponimus, proximum  
interficiendum, furari licitum &  
alia quævis, quæ non tantum cum  
principiis revelatis, sed & natura-  
libus pugnant. Impiam consuetu-  
dinem vocat Orator Ethnicus con-  
tra Deos disputare, sive illud ani-  
mo sive simulatione fiat lib. 2. de  
Nat. De: in fine.

3 Cavenda in objectis dis-  
putationis, nimia sublimitas, intel-  
lectus n. debet verum à falso discer-  
nere, quod fieri vix potest si obje-  
ctum captum nostrum superet.  
Distinguendum tamen inter subli-  
mitatem totalem & partialem, po-  
test aliquid objectum esse sublime  
certo respectu, quod alio respectu  
apprimè capitur. Exulant ab ob-  
jecto disputationis sublimia tota-  
liter, hoc est illæ theses, quæ planè  
transcendunt captum nec ullà rati-  
one investigantur. Sic nimis pe-  
riculose

*Objectum*

culosè Trinitatem disputant, qui contrariis argumentis adductis summum hoc mysterium inquirere student. Fidei opus est non rationis fœtus. Rectè igitur loquitur Meissn. in Ph. Sobr. part. 1. c. 6. quæst. 6. *Frustra disputatur de iis, quæ ad eò sublimia sunt, ut ab intellectu capi nequeat, nec de iis certitudo aliqua detur.*

¶ Quod notissimum est nulla indiget disputatione, disputatio dubias res tractat, non apertè notas. Malè disputatur: An ignis sit calidus? Aqua humida? An omnia fiant necessariò. Ignem qui calidum esse negat, accedat proprius & satis incallescet. Aquam humidam esse qui dubitat se immergat & humectabitur. Omnia necessariò qui fieri existimat, tormentis exponatur & tam diu crucietur, donec fateatur se posse non cruciari, sic consulente Johan: Duns l. 1. Sent. Dist. 39. Hæc omnia adeò manifesta sunt, ut veritas eorum ipso sensuum iudicio pateat. Cui contradicere est optimæ naturæ bellum inferre. Unde Aristot. lib. 1. Top. cap. 8. inquit: *Nemo qui quidem mentis suæ sit pro questione ponat, quod perspicuum sit omnibus & plurimis.* Ueberius Philosophus iudicium suum hæc de re proponit c. 9. *Nec verò*

*omne propositum omnemve questionem nobis ad disputandum proponere debemus, sed de quâ querat aliquis eorum, qui rationem desiderat, nunquam pœna digni sunt, aut sensu careant: Nam & qui ambigunt, sint, nec ne sint, Dii colendi & amandi parentes, supplicia coercendi sunt: & qui sit nec ne albanis, sensu carent. &c.* Confer in h. l. Jacobum Schekium p. m. 60. seq.

¶ Objectum disputationis cum verecundia debet esse temperatum. ne obscœna spurca & levia contineat, in primis in orali scriptâ Disputatione. Hoc enim modo non tantum peccat qui ejusmodi objectum proponit, sed alios peccare facit, vel ad minimum Scandalizat. Quod cum habeat annexam gravissimam comminationem sedulo omnis disputator seu Thesis autor, ejusmodi generis objecta vitabit.

§. 7. **Conclusio 2. Thetica.** Objectum Disputationis sit  $\alpha$  Res Scibilis  $\beta$  Disputabilis  $\gamma$  dubia  $\delta$  decens,

$\alpha$  Quod non cadit sub scientiam nec in disputationem venire potest. Omnis disputatio præsupponit scientiam. Quod intelligitur vel de scientia nominis vel rei. Utraq; ad disputationem necessaria.

faria. Si de Tarantara disputare  
aves, disputationi subscribere haud  
poteris, nisi quid Tarantara sit  
cognitum habeas, tum quoad no-  
minis significationem, tum quoad  
ejusdem definitione.

β Hoc ipso excluduntur *subli-  
mia*, quorum natura ex humanâ  
ratione mensurari nequeunt: *notis-  
sima*, quia nullos habeat contradi-  
centes. Pessima consuetudo est  
(inquit Cassiodorus l. i. Var. lect.  
c. 3.) despiciere veritatem, quod fit  
si de rebus manifestissimis dubite-  
tur. Ex quibus Cassiodori verbis

concluditur dubitandum esse de  
eo, quod in disputationem voca-  
tur, non tam dubium illi inferēdo;  
quàm efferendo.

γ Ultima hæc objecti qualitas  
intelligi potest vel generaliter, &  
ita reliquos in se comprehendit;  
tum enim disputationis objectum  
bonum, quando ita est, ut esse de-  
cebat; vel specialiter & tum oppo-  
nitur inverecundo obsceno & le-  
vi objecto. Potest etiam extendi ad  
locam & tempus, non enim sem-  
per & ubivis expedit, quod hodie  
& huic loco convenit.

## PUNCTUM II.

DE

### Modo Disputandi.

§. 8. Modus disputandi oritur à  
Norma. Per normam a. non intel-  
ligimus mensuram molis; sed vir-  
tutis. Omnis norma rei normatae  
debet esse homogenea, & quidem  
in illo tertio in quo norma appel-  
lari poterat. Quæ quanta sunt ex-  
aminantur ad normam molis, quæ  
qualia ad normam virtutis. Thesis  
consideratur non quanta; sed qua-  
lis, ad virtutis igitur mensuram ex-  
igenda. Utimur autem normâ  
propter *veritatis*, ut ipsa  
luci exhibeatur. Architectus suam  
sequitur regulam ne in ædificando  
aberrer. Panno & aliis luctum quæ

rens ulnam ne decipiat; vel decipia-  
tur. Sequatur igitur quoque Dispu-  
tator omnis normam, ne vel dece-  
pisse, vel deceptum esse apud alios  
audiatur.

§. 9. Dividitur a. Norma in ma-  
terialem & formalem. Fundamen-  
tum divisionis positum est in fine.  
Duplici modo possumus aberrare  
à fine, vel ratione materiae; vel ra-  
tione formæ. Duplici morbo igi-  
tur duplex medela adhibenda.  
Quod fiet distinctè utramque con-  
siderando.

§. 10. Norma materialis (aliis  
Realis dicta) est examē rei ad prin-  
cipium

B

cupium

cipium domesticū. Domesticum dico, quia cōtroverſia omnis illinc referenda, ubi domi eſt, hoc eſt, ad propriam ſedem. Sic Diſputatio Theologica ad Theologica principia accommodandum. Juridica ad Jurisconſultorum leges. Medica ad principia Medicinæ. Philoſophica ad principium Philoſophorum. Principia Facultatum ſuperiorum non determinatimus, ne fallacem (quod dici ſolet) in alienam meſſem miſiſſe accuſemur. Philoſophorum principium eſt Naturæ liber & recta ratio. Notanter pono naturæ liber in contradiftinctione ad librum ſcriptum. Theologia, item Jurisprudencia provocat ad leges ſcriptas, recipiendo convenientia, rejiciendo diſconvenientia. Aſt longè alia eſt Philoſophiæ cōditio quam iſtarum Facultatū. Verbi divini Autor Sp. S. infallibilis eſt, cui contradicere non tam abſurdum quàm impium eſt. Legibus Jurisconſultorum Chriſtiani ſubſcripſerunt; ita ut libertas contradicendi relicta non ſit. In Philoſophicis, omnia Philoſophorum dogmata ad rectam rationem exigimus: In Schola Pythagorica (ita dicta à Pythagora Philoſophorum temporis facilè primario) adeò reverenter habebant præceptoris ſcripta, ut judicem in diſputando eum conſtituerent, autumantes ſe

tum controverſiam decidiffè, cum ad præceptoris Autoritatem provocallent hęc formula *αὐτὸς ἐφα* ipſe dixit. Quem morem aſſumiffè denuo & Scholam Epicuream Hornius refert Hiſt. Philoſ. lib. 7. c. 10. ubi tantam apud Epicureos, ipſe Epicurus & ejus ſcripta obtinuit autoritatem ut more Pythagoreorum *ipſe dixit* uſurparent. Non tam Philoſophi more diſputare, quàm Domini exēplo jubere videbantur. Unde verſus Petronii: *Ipſe Pater veri dictus Epicurus in arte Juſſit & hoc vitā dixit habere telos.* Secta prima Scholaſticorū & hunc diſputandi morem obſervaffe idem Hornius ſcribit l. 6. c. 3. cujus Autor fuit Albertus Magnus, unde etiam Secta Scholaſticorum prima Albertiſtarum dicta fuit. Hęc ipſa Ariſtotelis Philoſophiam tanti fecit, ut eandem Sacræ Scripturæ æquipararet. Et ut de Neoteriſis dicam; Non ante multos annos apud quosdam in tantā Ariſtoreles fuit autoritate, ut in naturalibus ab omni errore non tantum actualiter, ſed & potentialiter abſolveretur. Ariſtotelem, virum fuiſſe acutiſſimū, in naturæ libro verſatiſſimum, ſingulari ingenio præditum, non quaſiſi damus. Aſt ab omni errore (& quod maximum eſt potentiali) eundem liberare vix poterimus. Homo fuit nec quid humani à ſe alienum

alienum existimavit. Potuisse igitur labi Aristotelem sine piaculo affirmabimus. Actu lapsum fuisse ostenditur in Monitis Philosophiæ (jussu Academiæ Ferrariensis publicatis) part. 5. In multis eum deceptum fuisse Anatomicis scribunt Vessalius, Laurentius, aliiq; unde & Ferrarienses quædam scripta Aristotelis cautissimè legendâ consulunt: Perperam ad Præceptoris auctoritatem provocari, ii docuerunt, qui meditando, præceptores ab errore immunes haberi non posse, investigarunt. Scitè Cornelius Marr: in Analyf: For: c. 10. tuos adhortatur auditores: *Nec vos terrent nomina, sint Theologi, sint Philosophi, è summâ vel infimâ cathedra profiteantur, nihil inter est, vos quid dicat & quomodo sua probent attendite.* Subtilissimus Scaliger Ex. 6. Sect. 4. disputatores, nudâ præceptorum auctoritate contentos, mâcipia alienæ libidinis vocat. Quæ ratione ductus Clemens Alexandrinus titulum corrigit Philosophiæ. Philosophia non est Stoica, aut Platonica, aut Epicurea, aut Aristotelica, sed quæ ab his sectis rectè dicta sunt. Confer Alstedium Encyclop. l. 4. c. 8.

§. II. Sequitur Norma formalis, quæ cynosura est connexionum & consequentiarum. Tradit hanc logica quam ex frequentissimis ob-

servationibus sapientes fabricarunt. Sicut materialis materiam corrigit, sic hæc formam. Logica quandoque materiam judicare dicitur, sed non nisi generaliter. Non præcisè attendit an materia sit Theologica, Juridica &c. Sed generaliter judicat an materia sit necessaria vel contingens, an nexus prædicati cum subiecto idem talis sit. Judicium speciale non nisi à Norma materiali strictè sic dicta diducitur. Unde benè distinguitur ab aliis inter judicium rei & nexus.

§. 12. Quæsitum ab aliis: Anne in quavis facultate semper formaliter disputandum? Pro negativâ pugnarunt multi rationibus & exemplis. *Rationibus*: Quia quævis res suam habet veritatem, quam à Logica nec accipit nec accipere debet. 2. Quia in disputationibus formalibus secessus fit à rebus ad voces. *Exemplis*; Quia Christus & ejus Apostoli non semper formaliter disputarunt, quod demonstrant ex disputationibus Christi & Apostolorum. Pro decisione hujus controversiæ repetimus illud, quod diximus Sect. 2. Subsect. 2. Tit. 1. Vocabulum formaliter disputare dupliciter posse sumi. Vel pro dispositione terminorum & propositionum in certâ figura & modo; vel pro consequentiâ orâ ex medio termino sine tali dispo-



sitione. Si primum modum intel-  
ligis, concedo non esse de necessi-  
tate absolutâ formaliter disputare.  
Si posteriorem affirmo quæstio-  
nem, quia illa forma non acciden-  
talis est sed essentialis, ita ut omni  
disputatori bono conveniat. *Unde*  
*miror* inquit Cornelius Mart: Ana-  
lyf. Fonn. c. 10. *Quenquam inveni-*  
*ri posse, qui sibi id persuadest, posse*  
*non formaliter disputari: nihil enim*  
*illi aliud dicunt, quam posse consecu-*  
*tionem dari, quæ tamen non sequitur*  
*id est posse hominem dari, qui non sit*  
*homo &c.*

Ad rationes: Resp: ad  $\alpha$ . quod  
dicitur omnem rem suam habere  
veritatem, nec à Logica accipere,  
concedimus. Non enim à Logi-  
ca veritatem accipit: sed veritatis  
lucem. Tradit Logica non rem  
ipsam; sed modum cognoscendi.

Resp: ad  $\beta$ . Distingendum in-  
ter id, quod fit & quod fieri debe-  
bat. Quanquam in nonnullis di-  
sputationib<sup>9</sup> id contigerit vel con-  
tingat, non tam ex lege quam con-  
suetudine factum. Logica & id ca-  
vet ne status controversiæ immu-  
tetur, aut quis abducatur. Ad Ex-  
empla: Resp. Christum & Apo-  
stolos disputasse formaliter, in po-  
steriori significatione. Dices:

Christus & Apostoli disputarunt  
per Dialogos quæstiones &c. E. &  
in tali forma nobis disputandum,  
Christum n. imitando tutissimi ibi  
mus. R. Distinguenda sunt  
tempora. Tempore Christi dis-  
putandi modus famigeratissimus  
erat ex schola Platonica in Judæam  
traductus, ubi per dialogos con-  
traria conferebant, respondendo  
ad quæstionem, iterumq; interro-  
gando; sicut ex Montaculo refert  
Waltus ad Luc. cap. 2. v. 46. item  
Grotius ad c. Matth. 8. v. 11. ubi  
hunc disputandi morem antiquis-  
simum vocat. Hodie invaluit usus  
disputandi Syllogisticus in certâ fi-  
gurâ & modo. Ad quem juventu-  
tem assuescendam monet Honol-  
dus Conf: Syll: Disp. 11. quæst. 14.  
eò fine ut promptiores reddantur,  
si cum adversario conferendi oc-  
casio detur. Rationes pro hoc for-  
mali disputandi more in promptu  
sunt; 1. Quia Auditores disputa-  
tionis facilius audire possunt ubi  
vitium hæreat. 2. In tali forma  
veritas apertissimè monstratur.  
3. Quia & tali formâ ansa calumni-  
andi adversario præscinditur. Has  
& similes rationes lege apud Ho-  
noldum l. c.

PUN-

PUNCTUM III.

DE

Fine Disputationis.

§. 13. Finis disputationis est ultima meta, ad quam tota excurrit. Estq; vel Universalis vel Particularis. Universalis (sicut rerum omnium; ita & disputationis) est Gloria Dei. Omnia à Deo & singula ad Deum. Particularis est vel principalis vel minus principalis. Minus principales dicuntur, qui non tam Disputationis intentionem habent, quam concomitantiam; Tales sunt Ingenii Exercitatio. Unde Aristoteles Probl. Sect. 19. *Contentiosa disputatio (inquit) exercere potest ingenia; quia, quod in eo disputandi genere accidit, ut crebro quis aut vincat aut vincatur.* Virium exploratio, unde Jacob: Marti in Pœd. l. 7. c. 11. triplicem finem ponit: Veritatis investigationem, ingenii Exercitationem, Adversarii Teatationem. Nos quod unicuique voluerimus exprimere, ratione non caret; quia unicuique datur tantum finis disputationis primarius, reliqui non nisi comites Disputationis, salutari possunt. Ex hac solo fine B. August. contra Cresconium c. 15. Verum disputatorem definit, quod sit veri à falso discretor, idq; apud se ipsum agens, ne non recte discernens verum

à falso ipse fallatur. Hunc finem negligunt *Sapista*; (unde non disputant sed nugantur, non veritatis sed fallaciae studiosi sunt) *Philosophi* (unde non veritatis imperio sed mentis placito se disputando subjiciunt) tum se controversiam dirimisse opinantes, quando *adversarium* in disputando infirmum viderint, vel etiam doctiorem clamore superarint. De quo infensissimo disputandi more liceat ascribere iudicium celeberrimi Hornei ex Process. Disp. cap. 1. §. 4. *Disputare hodie omnes avertunt, sed pauci rationem disputandi recte discere. Unde fit ut sermones dare & accipere, argumenta proponere & ad ea aliquid revertere, prout captus unius cuiusq; est, disputare vocent, cum plerumq; id nihil aliud sit, quam splendide nugari. Fit etiam ut nihil tam absurdum excogitari queat, quin illi tum sibi ipsis hoc persuadere possunt, tum suo iudicio contra alios sufficientissime defendere. Quae insensia ubi semel animum insedit, omnem eruditionem, omnem veritatis lucem excludit, & in tantum barbaria lutum mentis ocalum demergit ut emmere amplius nequeat. Quod mentis decementum ut vitemus, primum*

B 3

& ul-

& ultimam disputationis veritatis  
meditatio erit; Primum quoad in-

entionem, ultimum quoad exse-  
cutionem.

## SECTIO III.

DE

### Disputationis Divisione.

§. 1. Divisio confectarium est  
quantitatis & hæc materia. Quam  
cum proprie sic dictam disputatio  
non agnoscat, vel essentialem; vel  
integralem proprie sic dictam fru-  
stra a nobis expectabis. Si analogi-  
câ divisione consulis, accipe bo-  
na mente sequentes.

- Se. 2. Disputatio variis modis  
secari potest (utraceam illas secti-  
ones ubi ratione æquivoci in sua  
æquivocata divelli poterat).

Dividitur 1. Ratione Disputan-  
tis in Mutam Vocalem & Scriptâ,  
Muta dicitur, ubi quis mentaliter,  
tacite adversariorum argumenta  
expendendo, disputat. Ratio ap-  
pellationis est, quia loquelæ instru-  
mentum in illâ cessat; ex qua ratio-  
ne & scripta muta dici posset. Vo-  
calis ubi Lingux instrumento uti-  
mur & vocem voci opponimus.  
Talis vocalis Disputatio erat in  
Colloquio Ratisponensi, mompel-  
garteni & aliis. Scripta disputatio  
ubi Adversariorum argumenta ca-  
lamo examinamus. Sic disputa-  
runt in scripto Selneccerus, Che-  
mnitius, Bellarmius, Becanus &  
alii.

§. 2. Dividitur 2. Ratione Prin-  
cipii in illam, quæ instituitur κατ'  
ἀλήθειαν & κατ' ἄνθρωπον

Disputatio κατ' ἀλήθειαν seu  
secundum veritatem dicitur, quan-  
do thesin probamus ex principio  
vero, non obstante, an verum o-  
mni videtur. Ex hoc principio di-  
sputavit Salvator sæpissimè contra  
Judæos, Scribas, Phariseos,  
& contra ipsum Satanam.  
Ex hoc principio disputant  
orthodoxi, cum adversarium ex  
verbo Dei scripto convellunt.  
Disputatio κατ' ἄνθρωπον seu se-  
cundum hominem est, cum dispu-  
tatur, non tam ex principio verò;  
quam concessio, hæc utimur cum  
pertinacem adversarium nobis  
fortuna dedit principia non admit-  
tentè vera; ut igitur eò citiò adver-  
sario amputerur occasio, proprio  
eum (quod dici solet) gladio per-  
stringimus. Sic Salvator noster  
convincebat Juvenem, quæ rentem  
Matth. 19. Quid faciam ut nanci-  
scar vitam æternam. Christus re-  
spondebat ex principio concessio  
(quia fortean aliud principium ut-  
pote

pete crede in Filium Dei negasset) Serua mandata, Arripienti hoc Juveni, respondebat, unum deest, vende omnia & me sequere, hoc ipso enim Juvenem mandata non servare & ne primum quidem præceptum in Decalogo luculenter ostendebat. Hoc modo disputare ipsa necessitas quandoq; imperat, *alii enim argumentis agendum est cum Hæretico, & aliis cum disputatur cum Turcâ, aut contra Gentiles* (verba sunt Scheckii comm. in lib. 1. Top. c. 9.) In Philosophicis sæpissime hanc disputandi rationem permutamus, ubi nunc ex principio vero, nunc ex concessio disputamus, non recipiendo falsum pro vero, sed adversarium ad absurdum deducendo, ut veritatem invitum confiteri necesse habeat, & id quod verum putabat falsum reipsâ videat. Alias singularis cautio in principiis disputationum mutandis adhibenda.

§ 4. Dividitur 3. Ratione objecti in Theologicam, Juridicam, Medicam & Philosophicam. quot sunt objecta principaliora, tot sunt disputationes. Si quis ex objectis minus principalioribus, utpote ex objecto Physico, Metaphysico, Logico, disputationem insignire specialiter velit per nos licebit & tot constituere disputationes speciales, quor sunt objecta specialia.

§ 5. Dividitur 4. Ratione quantitatis in Universalem, universalissimam & specialem. Objectum quo generalius est eo disputatio universalior. Universalissima disputatio est, quæ concernit integram facultatem. Universalis totum tractatum partis, vel totam aliquam disciplinam complectitur. Specialis quæ certum locum in superioribus facultatibus vel in inferiori certam materiam alicujus disciplina tractat. Sic universalissimæ sunt Disputationes Garhardi in Tomis conjunctim sumptæ, quia totam concernunt Theologiam. Universalis disputatio dici potest Examen Concilii Tridentini B. Chemnitii. Specialis opera Whitakeri, quam in refutandis erroribus Bellarmini circa Ecclesiam collocavit.

§ 6. Sunt & aliæ divisiones disputationis. Ut cum dicitur Major vel Minor, non ratione objecti sed ratione temporis. Major dicitur quæ habetur tota die (apud nos Inauguralis dicta) Minor quæ habetur duabus horis ante vel post meridiem. Sic desiniente & exhibente hanc divisionem Lobkowitzo in Sev. Disp. Meth. Disp. 1. p. I. Divisiones ejusmodi, quia non tam ab ipsâ disputatione oriuntur, quam extrinsecus ei adveniunt, enumeratione plurimum supersedentes  
hic

hic totius Exercitationis ferias facimus,

## Paralipomena.

§. I.

Consuetudo tulit *in Dodoza* nonnunquam disputationibus annectere, de quibus non inepta dubitatio moveri poterat: An jure Disputationi includantur? Hyperius l. 3. c. 6. de Theologo & quem verbotenus sequitur Tuniceus in Arm. Theosophiæ §. ii. Negativa includere videntur. Verba eorum hæc sunt: *Quod ad materiam attinet deligantur Theses, non de rebus fripulis aut absurdis.* Vocabula si accipienda ut stant, nec quis confundere velit absurdum cum falso, quæ distinctissima esse inculcat Danhaw. Id. B. D. & M. Soph. Sect. 2. c. 1. Art. 2. Huic sententiæ favere sine crimine Academicæ libertatis haud poterimus. Illa quæ absurda sunt, vera sunt aliquando, & dicuntur tantum absurda, quia non omnium auribus æque suavia, unde Martinius in Lex. Philolo: absurdum dignum esse dicit, à quo quis aures avertat. Absurdum est vulgo Solem esse majorem terrâ; Verum tamen esse Achilleis rati-

onibus Mathematici confirmant. Sunt & alia absurda, de quibus convenienter disputari potest. Quia dubia sunt, ansam disputandi præbent. Absurditas illa non inest rei, sed subjecto circa rem occupanti.

Dices: Absurdum est meta Sophistæ. E. non cadit in disputationem. Resp. concedendo quatenus est meta Sophistæ. Absurdo utitur Sophista ad decipiendum. Bonus disputator ad veritatem indagandam. Abusus non potest tollere usum.

§. 2.

Major est difficultas dubitandi de non Ente an sub disputationis incudem venire possit. Pro negativâ stat axioma Philosophicum non Entis nullæ sunt affectiones. Pro affirmativâ extant Disputationes de Purgatorio de Ente rationis & aliis negativis. Tollit hanc difficultatem Philof. Regiomontanus in Methodol. C. X. Can. 4. ubi fieri posse concedit, si non Ens, speciem Entis præ se ferat. Ad axioma Resp. Dist. inter affectiones denominantes extrinsecè & intrinsecè. Posterius negatur. Confer Stal. Reg. 4. Tit. 1.

*Dea dēa.*

05: ) 0 ( : 50

# COROLLARIORUM ΠΕΝΤΑΣ.

- I. Philosophiam, qui à *Φύλαξ* derivant non tantum philo-  
logiæ; sed & intentioni pythagoræ litem intendunt.
- II. Dandum aliquid causis vocabuli mutationem potentibus si tamen quod res est dicendum, rectius *σοφία* dicitur quam *Φιλοσοφία*.
- III. Philosophia rectè dividitur in Theoreticam & Practicam.
- IV. Nec malè in Theoreticam, practicam, & effectivam.
- V. Principia Philosophi non statim principia sunt Philosophiæ.

**D**isputat is rectè, placidâ qui mente latebris  
Excutiet Verum. Sic benè cedit opus!

Hermannus Schuckman/D.

**D**um Bellona furens scelera ad Mavortia gentes  
Flammat, & Arma, Arma, Arma, Orbis ubique  
Plurimus hanc sequitur prædæ spe lusus inani, (crepat,  
Jacturamque facit corporis atq; animæ.  
Quanto tu melius, qui Palladis arma secutus,  
FRANCKI, perpetui scandis honoris iter,  
Laudo conatus & pulchræ semina mentis;  
Quæ nisi præclaris insita sunt animis.

Ita gratulabundus  
scribebat

Christianus Schröder.

Quam studiis operam tribuisti Dis - que - putare.  
Quid sit, jam monstras, publicitusq; docces;  
Rectè! pergenti lautas promittit Apollo  
- Divitias; astris inseret atq; caput.  
Grator. Sic patriæ Spes est implenda. Laboris  
- Sic certa est merces, gloria lausq; tui.

Eximio ac erudito Domino Respon-  
denti gratulabundus apponebat.

PRÆSES.









pote crede in Filium Dei negasset) Serva mandata, Arripienti hoc Juveni, respondebat, unum deest, vende omnia & me sequere, hoc ipso enim Juvenem mandata non servare & ne primum quidem præceptum in Decalogo luculenter ostendebat. Hoc modo disputare ipsa necessitas quandoq; imperat, aliis enim argumentis agendum est cum Hæretico, & aliis cum disputatur cum Turcâ, aut contra Gentiles (verba sunt Scheckii comm. in lib. 1. Top. c. 9.) In Philosophicis sæpissime hanc disputandi rationem permutamus, ubi nunc ex principio vero, nunc ex concesso disputamus, non recipiendo falsum pro vero, sed adversarium ad absurdum deducendo, ut veritatem invitus confiteri necesse habeat, & id quod verum putabat falsum reipsâ videat. Aliâ singularis cautio in principiis disputationum mutandis adhibenda.

§ 4. Dividitur 3. Ratione objecti in Theologicam, Juridicam, Medicam & Philosophicam. Quot sunt objecta principaliora, tot sunt disputationes. Si quis ex objectis minus principalioribus, utpote ex objecto Physico, Metaphysico, Logico, disputationem insignire specialiter velit per nos licebit & tot constituere disputationes speciales, quor sunt objecta specialia.

ur 4. Ratione quare  
 rusalem, universalis-  
 ialem. Objectum  
 est eo disputatio u-  
 iver salissima dispu-  
 concernit integram  
 iversalis totum tra-  
 vel totam aliquam  
 mplectitur. Specia-  
 a locum in superio-  
 bus vel in inferiori  
 am alicujus discipli-  
 iversalissimæ sunt  
 Garhardi in Tomis  
 umtæ, quia totam  
 heologiam. Uni-  
 tio dici potest. Exa-  
 Tridentini B. Che-  
 ialis opera White-  
 efutandis erroribus  
 ca Ecclesiam collo-

aliæ divisiones dif-  
 cum dicitur Major  
 ratione objecti sed  
 ris, Major dicitur  
 ora die (apud nos  
 ta) Minor quæ ha-  
 horis ante vel post  
 c definiente & exhi-  
 sionem Lobkowit-  
 p. Meth. Disp. i. p. I.  
 imodi, quia non tam  
 atione oriuntur,  
 tus ei adveniunt, enu-  
 rium supersedentes  
 hic

